

2.

DE
PHTHISI PVRLENTA
DISSERTATIO

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIO
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS
MEDICAE
PRO SVMMIS
IN
MEDICINA ATQVE CHIRVRGIA
HONORIBVS CAPESSENDIS
PVBLICO EXAMINI SVBMITIT
THEOPHILVS RICHARDVS FRANK
LIPPEHNA NEOMARCHICVS.

D. ~~XIV~~ MAII CLO CC LXXXVI.

ERLANGAE
TYPIS HILPERTIANIS.

Cuius rei non est certa cognitio , eius opinio
certum reperire remedium non potest.

CELSVS.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

D O M I N O

CAROLO GEORGIO HENRICO
COMITI AB HOYM

POTENT. BORVSSORVM REGIS TAM IN MILITARIIBVS
QVAM ALIIS REBUS PUBLICIS ADMINISTRO INTIMO
CAMERAE FVNDOR. REGIORVM IN TERRIS SILESIAE
ATQVE BORVSSIAE MERIDIONAL. PRAESIDI PRINCIPI
AQVILAE NIGRAE ATQVE RUBRAE ORDINIS EQVITI
ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM SOD. HONORARIO
DYNASTAE DITIONVM DYRENFVRT, WAHREN
GLOSCHKAV, GENSERAV, PABLOTZ
CET. CET.

F AVT ORI S V O

S V B M I S S E C O L E N D O.

HAS STVDII MEDICI PRIMITIAS

SVMMA REVERENTIA DVCTVS

BENEFICIORVMQVE CLEMENTISSIME

IN SE COLLATORVM SENSV

INCITATVS

PIA DEVOTISSIMAQVE MENTE

CONSECRAT

THEOPHILVS RICHARDVS FRANK

A V C T O R.

P r a e f a t i o .

Cogitanti milii de materia, quam ad Doctoris gradum, modo a majoribus instituto, rite obtinendum, publice pertractem, in mentem venit, de morbo scribere, cuius adspexitus medicum, proh dolor! ad tristem limitum artis suae cognitionem cogit, de Phthisi nempe purulenta.

In primis contemplanti, quid medicorum nostri aevi plures, chemiam colentes, hac de re nuperrime dixerint, ad eam persequendam animus milii incenditur; quamquam minime ignorem, materiam scribendi me elegisse, doctissimorum virorum trutina jamjam agitatam, measque vires longissime superantem.

Cum autem virium exercitatio, cum earum tenuitatis conscientia conjuncta, a reprehensione

A 3 teme-

—

temeritatis abſit, atque rei magnitudo ne tiri-
nem quidem abſterrere, sed potius ad eam
tanto majori cura investigandam excitare de-
beat; ſperare atque confidere licet, nem-
inem futurum eſſe, qui mihi hujus argumenti
delectum vitio vertat.

Quantum interim in eo explicando pree-
ſliterim, penes scientiae reique peritos fit
judicium; a quibus nil niſi hoc peto, ut num-
quam non ſint memores, me longe alieniſſi-
mum eſſe, et ab illis, qui novis a ſe inventis
gloriantur, et a temerario conſilio, de re, a
me tractata, decernendi; cum potius ea tan-
tum dicturus ſim, ſine preeconcepta opinione,
partisque studio, quae et optima, et rationi
consentanea mihi videantur.

§. 1.

Visceris alicujus corporis animati exulcerationem, cum febre hectica conjunctam, phthiseos nomine insignimus. Quare si pulmonum substantia pure consumitur, statum hunc morbosum phthisin pulmonalem purulentam seu exulceratam vocamus.

§. 2.

Morbus hic, perniciosissimis tristissimisque, qui genus humanum infestant, jure adnumerandus, cui sanando, plurimis in casibus, omnis medicorum ars, omnis medicamentorum exactissima applicatio, omnisque naturae praestantia impares sunt, tribus inter se diversis decurrit stadiis. Primum, inflammatione pulmonum, vel aperta, vel occulta, primas quasi ad morbum constituendum lineas ducit. Dolores oriuntur vagi, interdum quoque fixi in sterni regione,

A 4 vel

vel comprimentes, vel pungentes, mox evanescentes, mox redeuntes. Respiratio suppressa, difficilis, anxia; tussis interrupta, inspiratione profunda facile revocanda, situ decumbente aucta, nunc sine sputo excreto, nunc cum muco dulci salino, puri simili, rejecto conjuncta; vox aspera evadit, rauca, sonansque; lingua pura vel muco levi albido inquinata; pulsus debilis, parvus, tamen fere naturalis, interdum paululum justo celerior; appetitus minime laesus. Nunc stadium regnare incipit alterum, atque cum eo febris, morbo superveniens, hecūca, lenta, bis quotidie, post prandium atque coenam, exacerbans. Incitabilitatis auctae, incitamentique continentis adsunt signa. Pulsus celer, duriusculus, compressus; calor perdurans, ab aegroto vix percipiendus, tangenti vero urens, praecipue manus volam pedisque plantam afficiens; lingua rosea ¹⁾, purpurea, rubiginosa ²⁾; fauces rubedine lu-

XU-

1) VOGEL Handbuch der prakt. Arzneiwiss. 2 B. pag. 224.

2) SELLE Medicina clinica. p. 305.

xuriante tinctae apparent³); cutis
sicca; facies hippocratica; genarum
altera sive utraque rubore circumscri-
pto, induta; caruncula lacrymalis,
in cantho oculi interno collocata,
plus solito rubra⁴); respiratio magis
anxia; tussi aucta, exsecrabilis pūs ex-
screatur flavesrens, griseum, vire-
scens, sanguine commixtum, foeti-
dumque; horripilationes frequentes;
sitis magna; appetitus haud imminutus;
alvi retentio, somnusque inquietus,
non reficiens. Tandem colliqua-
tionis signa sese ostendunt, atque ter-
tium significant stadium. Puris ejectio
accrescit, et aegrotus exspirans foe-
torem diffundit; alvi profluvium ex-
oritur; urina copiosior excernitur,
et quiescens crustam unguinosam, co-
loratam, sedimentumque albido, ru-
bescens, mucoso - purulentum con-
spectui objicit; sudores nocturni ma-
tutinique aegrotum angunt; pulsus
acceleratur usque ad 140 ictus in mi-
nuto primo; febris exacerbationes

A 5 in-

3) REID Essay on Phthisis pulmonal.
pag. 19.

4) REID l. c. p. 13.

inter se confluunt; animi laetitia extinguitur; vires, omnesque corporis partes musculares decrescunt, et maces, sensim sensimque gliscens, totam machinam exsiccat, ita ut oculi in orbitae fundum retrahantur, ossaque cute sola obducta esse videantur; pedes tantum manusque intumescunt; unguis incurvantur atque capilli sedent. Et hoc modo miser, lento gradu, ad interitum properat, vitae amore, spem sanationis numquam amittente, incensus, dum animi deliquia iterata, terribilem mortis imaginem oculis ejus, jamjam claudendis, semper ostendunt. Aphthae tandem linguam cavumque oris investiunt; et vitae flammula, vix adhuc emicans, tali lenitate extinguitur, ut animam exspirantem adspicienti, mortem somni fratrem esse, omnino persuadeatur. Semper fere morbus hic cursum, a modo descripto non deflectentem, nisi reduviam cures, regulariter absolvit, ita ut phaenomena in subjectis phthisi purulenta laborantibus variis, a me, tam in nosocomico clinico Berolini, quam praeterea aliis in locis obser-

va-

vatis, paene eadem invenerim. Interdum etiam suffocatio, vomica praeceps disrupta, vel haemorrhagia varorum pulmonalium, pure acri eroferum, exorta, rarius anxietates motusque convulsivi lenes miserum morti tradunt.

§. 3.

Causa morbi proxima nulla alia est, nisi pulmonum exulceratio, quae a causis remotis variis producitur.

I) Prima praecipuaque omnium dispositio est peculiaris, congenita, cuius signa sunt:

a) Corpus celeriter efflorescens ⁵⁾, praelongum, tenue, musculis gracilibus praeditum ⁶⁾.

b) Facies oblonga, tenera, genis rubris ⁷⁾, labiis purpureis.

c) Den-

5) FRITZE *Annal. d. clin. Instit. zu Berlin.*
1 H. p. 62.

6) WINTRINGHAM Com. Nefol. §. 28.

7) SELLE I. c. p. 305. PORTAL Esprit
des Journeaux. 1792. Mars p. 362.
SACHTLEBEN Med. clin. d. auszehr.
Krankh. p. 19.

- γ) Dentes lactei, semipellucidi⁸⁾.
 δ) Collum elongatum, tenue⁹⁾,
 humeri elevati, thorax planus,
 angustus.
 ε) Homines fibris irritabilibus,
 mente agili, luxuriante¹⁰⁾,
 animoque pathematis faciliter
 perturbando, praediti.
 ζ) Ad anginas, dolores dentium
 rheumaticos, nec non haemor-
 rhagias, in primis narium¹¹⁾,
 haemoptyses atque haemor-
 rhoïdes proclives¹²⁾. Et tan-
 dem
 η) parentes phthisici.

Dispositio haec ad omnes caussas,
 phthisin inducentes, recipiendas per-
 apta, in aetate juvenili a decimo
 quin-

8) CAMPER *Samml. auserl. Abhandl. f.*
prakt. Aerzt. 1 B. p. 42.

9) FRITZE *l. c.* p. 62.

10) FRITZE *ibidem.*

11) BEDDOES *med. Schrift. a. d. Engl.*
 1 B. p. 134.

12) SELLE *l. c.* p. 305.

quinto usque ad annum trigesimum
sextum praecipue regnat, omnique
modo attendenda est.

II) Contagium. Nostro tempore; an
hoc fieri possit? nemo forsitan
interrogabit, cum virorum, om-
nem fidem merentium, experi-
entia, phthisin contagio communi-
cari, extra dubitationem posuerit.
Quod affirmant GALENUS¹³⁾,
van SWIETEN¹⁴⁾, MORGAGNI¹⁵⁾,
KLEINIUS¹⁶⁾, MARET¹⁷⁾,
RAULIN¹⁸⁾, et medici Italiae
celeberrimi¹⁹⁾. SARCONE²⁰⁾
phthisin pulmonalem contagium
ap-

13) de differ. puls. l. I. c. 2.

14) Commentar. Tom. 4. p. 72.

15) de fedib. et cauf. morb. ep. 22. n. 3.

16) Interpr. clinic. p. 232.

17) Esprit de Journ. 1779. Mars.

18) von der Lungenfucht. a. d. Franz. T. I.
p. 22.

19) Magazino Toscano. T. I. V. I. p. 468.

20) von den Kinderpokken. a. d. Ital. von
LENTIN. p. 468.

appellat, tangendo atque effluendo sepe propagans, in primis ubi fomes aliquis excipiens existit; epidemice vero illam grassari, negat. FOURNIER²¹⁾ exemplum memoriae prodidit, nutricem, ut videbatur, sanam, cui Anglus quidam phthisicus lac e mammis exsugerat, in phthisin pulmonalem indicisse, brevique tempore morte consumtam esse. Plura FRITZIUS²²⁾ et WICHMANNUS²³⁾ memorant, ita ut de contagiosa indole hujus morbi dubitare minime liceat, et si non nulli medicorum, v. c. COCHI et CASTELLANI, eam negarunt, hic ex ea potissimum ratione, quod pulmonum pus, a pure in alio corporis loco exorto, non discrepet. An vero phthisis, homines, in eodem loco cum aegroto habitantes, hoc affecto, cum primis communis poculo cum eo ute-
tes,

21) Observat. sur la nat. les caus. et le traitement de la fievre lent.

22) Med. Annal. 1-H. p. 231.

23) Hanov. Magaz. 1780. St. 51.

tes, adoriri queat? nec affirmare, nec negare ausim; cum tantum e factis pateat, illam solummodo vestibus, lecto, thalamo, mammarumque exsuctione contagii vim exercere. In eadem tamen sum sententia cum VOGELIO²⁴⁾ et SACHTLEBEN²⁵⁾, dispositione supradicta semper ad hunc morbum recipiendum opus esse.

III) Omnia quae pulmones exulcerare, et metastases purulentas ex aliis locis in hos transferre valent.

- α) Omnes pulmonum, pleurae, bronchiorum, mediastini, dia-phragmatis &c. inflammationes vel nimis intensae, vel natura deficiente, vel medela pverfa, non resolutae.
- β) Haemoptysis vel activa vel pa-fiva.

γ) Haemorrhagiarum consuetarum, v. c. mensium, haemor-rhoidum &c. suppressio.

δ) Ex-

24) l. c. p. 237.

25) l. c. p. 25.

- δ) Exanthemata, tam acuta, quam chronica, variolae, morbilli, scabies &c. in pulmones repulsa.
- ε) Materiae acres specificae, in primis rheumatica, catarrhalis, scorbutica, scrofulosa, venerea &c. in pulmones translatae.
- ζ) Ulcera majora antiqua manantia, imprudenter consolidata.

§. 4.

Quaecumque caussa phthiseos in pulmonum vel bronchiorum vasis sanguiferis inflammationem efficit, quam a statu sanitatis alienationem illustr. HUFELAND vim vitalem, in vasorum systemate sanguineque auctam atque exaltatam denominando, omnino distinctissime definit²⁶). Nulla vero inflammatio partis cuiusdam corporis animati exoriri potest, nisi incitamentum vel stimulus quispiam in materiam agat, ad hunc recipiendum aptam, vel, ut verius dicam,

26) Ideen zur Pathogenie p. 303.

cam, in hunc reagentem. Quod ut
fiat, stimuli perceptione cumprimis et
absque omni exceptione opus est.
Cum autem vis sentiendi in nervis
corporis vivi unice habitet, quippe
quibus sensorii communis emissariis,
animique cogitantis ministris, quae-
que animantis pars, sensatione pree-
dita, uberrime instructa est; apparet:
nervos quoconque incitamento pri-
mum affici, atque tunc in vasa et san-
guinem reagere, quo ex fonte inflam-
mationis signa, sanguinis affluxus ca-
lorque auctus, atque dolor plus mi-
nusve intensus, profluunt. Inflam-
matio nunc vel phaenomenis facile
cognoscendis se se manifestat, vel mi-
nus clare se ostendens, occulta in
loco affecto latet. Quae utroque in
casu cum reactione, vel natura sola,
vel arte adjuvante, aucta, virium
antagonismo atque vasorum resorptio-
ne non resolvitur, vasa justo magis
in sanguinem transfluentem agunt et
vinculum partium, eum constituen-
tium, ex parte relaxant, quo fit,
ut eae sanguinis partes, quas lym-
phae coagulabilis et fibrosae sanguini-
nis portionis nomine insignimus,

majori copia secernantur, atque tali modo pulmones puris incunabula evadant; quod pus procedente tempore acrimoniam induit, tandemque omnem pulmonum substantiam, nulla arte restituendam, consumit. Hoc ipsum pus, ita generatum, vel ex loco profluit cum tracheae ramulis comunicante, vel in ulcere habitat occluso, quod vomicam dicimus. Alius vero pulmonum inflammationis exitus, scirrhosa est substantiae ejus induratio. Tubercula oriuntur, saepe per longum tempus quiescentia, inflammatione vero altera superveniente incensa, puris officinam terribilem constituant, atque ita quoque phthisis oritur purulenta.

§. 5.

Caussis phthisin pulmonalem producentibus nuperrime quoque illustr. BEDDOES, Britannus, atque illustr. GIRTANNER oxygenium, quod inspirando in corpus intravit, et justo majori copia, sanguini fese commis- cuit, adnumerari voluerunt. Haec clarissimorum virorum sententia, ut- ut

ut adhuc controversa, maximi est momenti medico in phthiseos curatione versanti, cum, si firmo stat tali, methodum indicare possit, ad morbum hunc tristem rite tractandum; quare mearum esse partium existimo, eam, hic, quantum vires spatiumque permittunt, paucis examinare.

§. 6.

Vir non minus famigeratissimus optimeque meritus, quam infelix, LAVOISIER²⁷⁾), respirationis negotium, tam diu tenebris sepultum, primus experimentis, omni ingenii acumine et subtilitate institutis, declaravit; ex quibus patet: atmosphaerae aërem, in animantium pulmonibus, sub respiratione modo chemico mirum in modum mutari. Sanguis, ut physiologia docet, e corpore per venas cavas ad cordis atrium dextrum rediens, atque in ventriculum dextrum transfluens, per arterias pulmonales ad pulmones progreditur, et hos usque ad cellulas minutissimas pe-

B 2 ne-

27) *System d. antiphlog. Chemie. a. dem Franz. v. HERMBSTAEDT.*

netrat. In his, e tela subtili cōtex-
tis, ramuli arteriosi cum ramulis ve-
narum pulmonalium anastomosi uni-
untur. Inspirationis beneficio aēr at-
mosphaericus, e tribus circiter gas
azotici partibus, gas oxygenii parte
una, exiguaque gas acidi carbonici
copia commixtus, in pulmones in-
greditur, atque cellulas eorum replet.
Nunc gas oxygenium, solum stricto
sensu respirabile, principium carboni-
cum et hydrogenium sanguinis super-
fluum, in circuitū per corpus majori
assumtum, ubicunque ramuli arterio-
si anastomosin faciunt, arripit, atque
ea sibi jungendo, acidum carbonicum
et aquam producit; cui quoque pro-
cessui forsitan, ut GALLINI²⁸⁾ opina-
tur, reactio vasorum in sanguinem
auctior, hydrogenium nempe et car-
bonicum expellendo, infervit. Quo
facto, materia caloris lucisque, oxy-
genio coadunatae, liberantur, qua-
rum illa partim acido carbonico et
aquea, modo generatis, vaporis for-
mam largitur; partim vero cum lucis
ma-

28) *Betracht. über die Fortschritte in den
Kenntn. d. menschl. Körpers. a. dem
Ital. p. 165.*

materia sanguini se adjungit venas pulmonales transfluenti, et ad cordis saccum pulmonalem, ut per aortam denuo in corpus diffundatur, redeunti; quo ex fonte corporis calor, temperaturam atmosphaerae superans, maxima ex parte originem dicit. ExPLICATIONI huic processus respirationis, cui tam chemicorum quam physiologorum plurimi sunt addicti, multa accuratissime respondent phaenomena. Sanguis venae cavae systema arteriasque circuitus minoris transfluens, semper colorem ex rubro nigricantem habet, cum sanguis venarum pulmonalium atque totius systematis arteriosi majoris, rubidine tinctus appareat; quem colorem quoque sanguis venosus induit, qui cum gas oxygenio in vase clauso communicat, cum contra sanguis arteriosus gas hydrogenio vel acido carbonico expositus, nigricans evadat. Porro experimenta docuerunt, in sanguine arterioso plus principii caloris inesse, quam in venoso, et nullum animal, in quocumque fluido elastico, vitam respirando protrahere posse, oxygenio plane destitu-

B 3 to.

to. Illustr. GIRTANNER²⁹), BEDDOES³⁰), de la GRANGE et HASSENFRATZ, PARMENTIER, DEYEUX³¹) et alii hac in re dissentunt, quippe qui credunt, oxygenium inspiratum partim tantum cum principio carbonico atque hydrogenio sese conjungere, partim vero immutatum sanguini venarum pulmonalium commisceri, et in itinere arterioso totum per corpus sensim sensimque conjunctiones novas, tam fluidas, quam solidas, constituere; quod hac ex causa credunt, quoniam sanguis gas oxygenio expositus, pondere augeatur. Hocce interim phaenomenon facile est explicatu, ita ut non sit, ut ad oxygenium sanguini commixtum confugamus. Quod illustr. GALLINI³²) jam tentavit, statuens: ponderis augmentum ab aqua, quae ex hydrogenio sanguinis et oxygenio gas hunc

29) *Anfangsgründe d. antiphlog. Chemie.*
pag. 261.

30) *l. c.* p. 109.

31) *Journ. de Phys.* T. I. B. I. p. 372.

32) *l. c.* p. 166.

hunc circumdantis, confluxit sanguine se conjunxit, atque a parte acidi carbonici exorti, pendere. Sic quoque illustr. HALLE³³⁾ opinatur, azotici in corporis partibus superponendum magnae carbonici resorptioni, ab oxygenio, pulmonibus atque cute mediantibus peractae, soli sit tribuendum.

§. 7.

Celeb. BEDDOES³⁴⁾ novam de Phthisi theoriam, opinioni supradictae, nequaquam vero probatae, nixam, superstruxit, quae quoque jam passim a medicis phthisin curantibus adhibita est. BEDDOES, quocum illustr. GIRTANNER consentit, ita ratiocinatur: Quam diu per pulmones inspirantes plus minusve justo oxygenii assumitur, atque in corpus humanum diffunditur, alienatio a sanitate ut oriatur necesse est; cum utroque in casu non solum partes tam solidorum, quam humorum constitutivae, respectu hu-

B 4 jus

33) Annales de Chimie. à Paris 1791.
Novembre.

34) l. c. p. 110 sq.

jus principii quantitatis aliter sese habeant, sed etiam vis vitalis, cuius principium illustr. GIRTANNER in oxygenio quaerit, vel augeatur, vel minuatur. Phthisis pulmonalis status est morbosus, a majori oxygenii quantitate, quam naturae leges sanitati permittunt, in corpore praesente, pendens; qui quocunque modo, si principii hujus nimium, vel inspirando vel assumento in machinam humanam inducitur, v. c. habitando in locis altis aere, praecipue puro, praeditis etc. originem trahit; quod quoque evenit et pulmonum inflammatione, et omnia alia caussa, quae vel horum viscerum structuram ita commutare potest, ut plus justo oxygenii in sanguinem ingrediatur, vel eundem ad principium hoc majori copia recipiendum proclivem reddat. Quo facto, sanguis a majori oxygenii copia rubedinis vigorem induit, multoque tenuior, quam in statu naturali evadit³⁵⁾; labia, lingua, faucesque ita colorantur, ut partes musculares nitro imbutae; solida oxygenantur, macescunt atque irritabiliora redundunt; oculi vigent, sen-

35) l. c. p. 110.

sensuumque omnium acumen observatur. Statum hunc illustr. BEDDOES phthisin denominat floridam, ad quam curandam, aerem, oxygenii minus quam atmosphaericus continentem, e duabus partibus hujus, unaque parte gas hydrogenii vel acidi carbonici commixtum, in usum vocavit ³⁶). Gas hoc inspirando anxietas respirationis atque puris rejectio levabantur, halitusque foetens, phthisicis pecularis, evanescebat. Quod mirandum est, medici Angli WITHERING et EWART gas acidum carbonicum applicarunt, atque inspiratione ejus repetita phthisin pulmonalem se sanasse, affirmant ³⁷).

§. 8.

Quisque medicus vehementer gauderet, si, ut ill. BEDDOES et cum eo consentientes contendunt, morbus dirus, ominaque fere scientiae nostrae arma eludens, imminutione tantum oxygenii corporis esset curandus. Proh

B 5 do-

36) A letter to *Erasmus DARWIN* by *Thom. BEDDOES* p. 35. 48.

37) Letters from D. WITHERING.

dolor vero etiamnum experientia, ut
pote sola fida in medicina practica dux,
minime hoc probavit. Nec phthisin
statum esse corporis oxygenatum, sta-
tui potest, quum oxygenii superpon-
dium in phthisicorum corpore experi-
mentis demonstrari nequeat. Fluiditas
major atque rubor sanguinis exaltatus
oxygenii abundantiam non significant,
etsi in phthisicis semper inveniantur,
sed ab alia caussa deduci possunt. Ut
enim supra jam dixi, sanguinis vis or-
ganica continens inflammatione minui-
tur; quo fit, ut pars fibrosa et lym-
pha humoris hujus coagulabilis, multo
magis sese ad pus fabricandum fecer-
nat, quam in statu perfecte naturali.
Sequela proxima fluiditas est sanguinis
major, quae quoque principio caloris
praesenti ex parte tribui potest; nam
cum respiratio acceleretur, necesse
est, ut major carbonici copia, oxy-
genio aëris atmosphaericci, in acidum
carbonicum commutetur, quod vel in
exspiratione evehatur, vel sanguini
ipsi sese commisceat; hoc autem facto,
plus, tam hujus principii, quam princi-
pii lucis, in sanguinem intrat, et inde
humoris hujus color limpidior redi-
tur,

tur, calor naturalis augetur, atque pulsus, respirationis frequentiae semper intime respondens, acceleratur.

§. 9.

III. BEDDOES quidem, ut doctrinam suam corroboraret, phthisin durante graviditate, inducias facere, urget, quum foetui tunc oxygenium e corpore matris, placenta mediante, adducatur; praetereaque multum hujus principii, propter diaphragmatis actionem imminutam, inspirando assumi non possit, ita, ut deoxygenatio aliqua efficiatur³⁸⁾). Verum contra hoc autores diarii celebris³⁹⁾ summo jure jamjam monuerunt: phthisin minime semper esse eamdem; illamque tantum in graviditate suspendi, quae tarde progrediatur, et vel tuberculosa, vel pituitosa, e pulmonum debilitate topica exorta, omnisque febris expers fit.

§. 10.

38) l. c. p. 104 seq.

39) *Journal d. Erfind. Theor. u. Wieder- sprüche in d. Nat. u. Arzn. W. 9 St.*

§. 10.

Quum ill. BEDDOES nec speciem nec stadium phthiseos distinxerit, nec, ut necesse est, ad caußas hujus morbi diversas respexerit; facile intelligitur, omnia experimenta, ad phthisin curandam facta, illaque, quae ill. WITHERING atque EWART affirmant de phthisi sanata, nullius esse momenti; quod eo magis credere nobis licet, quoniam Germaniae medici quidam celeberrimi, illustr. RICHTER, HOFFMANN, BÜHNER gas acidum carbonicum cum aëre atmosphaericō mixtum, in usum quidem vocarunt, aegrotos autem minime sanarunt, et si levationem aliquam respirationis sputique exscreationis momentaneam observarint ⁴⁰⁾). Illustr. GIRTANNER quidem, aegrotum phthisi purulenta vera laborantem, et quod maxime admirandum, stadio tertio jamjam praesente, inspiratione gas, ex parte una acidi carbonici aëriformis, et duplii aëris atmosphaericī, compositi, ter quotidie repe-

40) HVFELAND *Journ. d. pract. Heilkunde* B. I. St. 2. p. 221. sq.

repetita, sanasse commemorat; cuius morbi historiam pluribus verbis, in libello infra citato⁴¹⁾ descriptam invenimus. Quo de facto et si nequam dubitamus, documentum tamen theoriae beddoesianaee illud non habemus; cum nil nisi hoc exinde eluceat: gas irrespirabile cum aere atmosphaericō coniunctum, minus quam hoc pulmones irritare, atque ita respirationem levare, calorem auctum vero pulsusque celeritatem minuere. Ill. BAKE interim, medicus Philadelphiae, experimentis permultis in animalibus variis generis factis, edoctus, affirmat: gas acidum carbonicum, inspirando in corpus animale inductum, animalia, (quod diu iamiam innotuit) brevi tempore necare; quod vero hujus loci est, semper caloris naturalis augmentum pulsusque frequentiorem observavit, tunc quoque, quum, secundum BEDDOESII methodum, oxygenii et acidi carbonici mixtionem ad experimenta supradicta in usum vocafet.

§. II.

⁴¹⁾ ibidem p. 209. sq.

§. II.

Sit interim gas acidi carbonici inspirati effectus, qualis demum ille sit; hoc tamen in promtu est: id nullo modo, etiamsi cum BEDDOESSIO sentiamus, aptum esse ad respirandum in statu pulmonum phthisico. Ill. BEDDOES intendit, ut et corporis oxygenium superfluum, secundum chemicae affinitatis leges, gas minus, aëre atmosphaericu, oxygenii continentis ope, absorbeatur, atque ita exspiratio- nis beneficio e corpore ejiciatur; et hujus principii accumulatio impedia- tur. Fluidum autem expansile, quod utriusque inservit, gas acidum carbonicum esse non potest, cum ne minima quidem oxygenii pars connubium cum eo ineat, quia principium carbonicum oxygenio jamjam saturatum et ita in gas acidum carbonicum commutatum est; oxygenationem vero hujus acidi superfluam chemici nondum observarunt. Nos, qui minime ignoramus, phthisicorum pulmones cuique incitamento praecipue patere, atque inspiratione aëris, multum oxy- genii continentis, nimis irritari, omni-

nino quoque hac ex ratione credimus, aerem alias vitalem, nunc letalem esse dicendum, cum absque dubio morbi decursum prae-maturare, vitamque paululum quidem rursus incendere, sed celerius etiam consumere videatur. Quare ut stimulus aëris inspirati minuatur, minime vero ad oxy- genium superfluum absorbendum, per salutare esse putamus, quod miser phthisi affectus aërem inspiret, parum tantum hujus principii complectentem. Cui consilio ut maxime respondeatur, optimum videtur factu, naturae nutum sequi, quippe quae atmosphaeram tali modo miscuit, ut parti oxygenii uni tres circiter azotici expansi partes sint adiunctae. Sin igitur vel hujus copia augetur, vel illius minuitur, itaque utraque in via azotici superpondium majus evadat, existimare licet: liquidum hoc compositum, ad usum supradictum optimum esse aptissimumque, omnem attentionem merens, et quemque medicum in phthisi curanda applicandum etiam atque etiam invitans.

Pauca

Pauca haec de theoria BEDDOES
Britanni sufficient; plura dicere, ut
res tanti momenti mereretur, huius
libelli fines admodum arcti, non per-
mittunt.

§. 12.

Prognosis haud magnum praebet
solatium. Celeb. medicorum permulti
in hoc consentiunt: phthisin purulen-
tam veram cum febre hectica jam
conunctam rarissime tantum radicaliter
posse sanari. Stadio primo vero
regnante morbus a medico vinci ad-
huc potest⁴²⁾). Si caussae remotae
morbum producentes eae sunt, quae
arte demi possunt, dispositione ab-
fente; pure benigno, cocto, facile
ejiciendo; febre hectica deficiente; ap-
petitu atque digestione non prostratis,
phthisis est sanabilis, medicinamque
agnoscit⁴³⁾). In stadio autem altero
tertioque, aetate juvenili, tubercu-
lis

42) MORTON Pthisiologia p. 171. FRI-
TZE l. c. p. 63.

43) STOLL ratio medendi p. 401. SELLE
l. c. p. 308.

lis exulceratis; pure maligno, crasso,
dulci, foetido⁴⁴⁾; alvi colliquatione
atque capillo evanescente⁴⁵⁾; viri-
bus tandem consumtis, spei multum
medico nequaquam supereft, cum tunc
plerumque mors miserum aegrotum e
medio tollat.

§. 13.

Phthiseos purulentae medela du-
plex est, vel radicalis, vel palliati-
va. Illa in caufa remota quaque in-
terrumpenda, removenda atque eli-
minanda, consistit, ne pulmonum
exulceratio oriatur, et jamjam exor-
ta, non progrediatur. Caufarum huc
pertinentium, supra jam enumera-
tarum, quaeque pro diversa ratione
sua aliter atque aliter est tractanda.

α) Ante omnia prophylaxis, praeser-
tim in dispositione phthisica, est curan-
da. Caveant homines dispositioni in
phthi-

44) STOLL l. c. p. 402. BENNET Thea-
trum tabidor. p. 110.

45) HIPPOCRATIS Aphorismi V. II. 12.

phthisin obnoxii, omnia, sanguinis motum nimis accelerantia, tam diu saltem, donec vasa pulmonum tenera, aetate virili, firmitatem acquisiverint sufficientem; fugiant motum corporis, modum excedentem, quietemque nimiam, thoracem comprimentem; animali affectus perturbantes, spirituorumque abusum; ne sanguinis congettiones, vasorum lacerationes, inflammations, atque dein exulcerationes in pulmonibus exoriantur. Ne vero quis phthisi, contagione medianente, inficiatur, omne cum phthisicis commercium noxiun, ut lectus communis, vestium usus, coitus atque pure ejecto inquinatio, vitandum. Infectione autem exorta, evacuantia lenia⁴⁶⁾, resolventia et dia-phoretica e. g. antimonialia, camphorata, vesicatoria, balnea &c. anti-septica et mitigantia, v. c. lac, mucilaginosa &c. adhibeantur.

β) In omni pulmonum inflammatione methodus abusive antiphlogistica, majori jure antinflammatoria dicta, rite est applicanda. Hujus loci sunt

46) SACHTLEBEN l. c. p. 79.

funt venaeſectio generalis atque par-
tialis; ſalia refrigerantia; acida vege-
tabilia; clysmata pediluviaque emol-
lientia et regimen temperatum.

Tunc naturae, crifi in formantis, mo-
limina adjuvanda. In genere radix
Polygalae Senegae et mercurius cum
opio optima fūnt medicamenta⁴⁷). Spu-
to maturando vapores aceti et infusionis
Sambuci nigrae florū, calore adſcen-
dentes, potusque copiosus, calidus in-
ſerviunt. Sputi eliminatio praeſertim
vesicatorio ad locum affectum, nec
non antimonialibus, ſenega, gummi
ammoniaco; cruditatibus vero in pri-
mis viis praeſentibus, ſale ammoniaco
atque clyſteribus leniter incitantibus,
multum adjuvatur. Transpirationi et
urinae partim medicamina enumera-
ta, partim fomentationes in regione
renum calidae, balnea, liquor Min-
dereri, squillitica &c. favent. Crifi
tandem per alvum, laxantia acida,
neutralia, mannata, clysmata et fo-
mentationes emollientes, abdomini
impositae, velificantur. Pulmonum in-

C 2 flam-

47) Medical comment. Vol. IX. p. 191.
Lond. med. Journ. Vol. VIII. p. 43.

flammatio occulta, latens seu chronicā, omnem medici attentionem flagitat, cum status hic periculosus facile negligatur, plurimisque in casibus phthiseos fontem constituat⁴⁸⁾. Dolor levis, sed fixus, tussi, respiratione profunda atque corporis motu auctus, interdum quoque pulmonum compressio animadvertisit; mox febricula adeat, mox vero corporis functiones non laeduntur. Signis his se ostendentibus, omnia sanguinis circuitum accelerantia sunt fugienda; venae sectiones, quibus parum sanguinis, tres circiter vel quatuor unciae, ex corpore emittitur, iteratae⁴⁹⁾, vesicatoria et fonticuli; mercurius⁵⁰⁾, potus copiosus, diaetaque vegetabilis in usum vocanda.

(7)

48) BAGLIVII praxis med. Lib. I. C. IX.
REYLAND v. den verborg. Entzünd.
1790.

49) Edinburger Versuche. P. IV. Art. 28.
PRINGLE Observat. on the diseases of
the army.

50) REID. l. c. PORTAL Mémoires de
l'Acad. des sciences à Paris. A. 1781.

γ) Haemoptysis, viscus respirationis nobilissimum afficiens, semper periculosa est, et phthisin pulmonalem, pumprimis dispositione praesente, saepe excitat. In paroxysmo animi corporisque quies, situs capitis verticalis, salia acida vegetabilia mediaque potui addita, clysmata et pediluvia magnum adferunt levamen. Tunc vero caussae efficientes sunt respiciendae.

αα) Inflammatione plethoraque parentibus, sanguinis imminutio, cumprimis sectione venae saphenae instituenda; acidum seu tremor tartari, acetum et succi vegetabilium acidi; potus mucilaginosus; thoracis fomentatio frigida; vesicatoria, clysmataque et pediluvia calida non nihil auxilii praebent.

ββ) Colluvies biliosa primarum viarum solventia indicit lenia, et, cruditatibus turgentibus, emetica⁵¹⁾; hisque vero ejectis, acida mineralia sunt propinan-

C 3 da

51) RICHTER med. chir. Bemerk. p. 109.

da⁵²). Infarctus si adsunt, methodum curativam postulant KAEMPFII, a medico tamen secundum rationem modificantam⁵³).

27) Haemoptysin putridam acida mineralia, Aetheres, China, alumena⁵⁴) &c. scorbuticam vero, plantae tetradynamiae, acida vegetabilia, diaetaque vegetabilis depellunt.

28) Spasmi, sanguinis in pulmonibus accumulationem producentes, hujus imminutionem plerumque vetant. Ipecacuanha⁵⁵), opium⁵⁶), vesicatoria⁵⁷), fomentationes emollienti-

52) STOLL rat. med. T. 2. p. 140.

53) Neue Methode d. Krankh. des Unterleibs zu heilen.

54) QUARIN animadvers. pract. 1786.

55) KAEMPF über d. krampfz. Eigensch. d. Ipecac.

56) SELLE l. c. p. 164.

57) CULLEN Anfangsgr. d. pr. A. W. T. 2. pag. 150. PERCIVAL Essays. Vol.

lientes⁵⁸⁾ , clysmata pediluvia-
que calida , antispastica sunt
optimae notae , haemoptysin
ex hoc fonte profluentem se-
dantia.

- εε) Menses , haemorrhoides aliique
sanguinis fluxus , naturae ne-
cessarii , suppressi , sanguinis im-
minutionem topicalam , hirudini-
bus vel cucurbitulis faciendam ,
vapores relaxantes , fomentatio-
nes atque pediluvia indicant.
Pellentibus vero sic dictis , me-
dicus tantum rationalis cum
grano salis uti potest.
- ζζ) In materias acres , pulmonum
vasa corrodentes v. c. pus &c.
mucilagines Orchidis radicis ,
lichenum variorum , gumma-
tum , sem. lini⁵⁹⁾ , emulsiones ,
lac &c. salubriter agunt.

C 4

ηη)

Vol. I. p. 233. FORDYCE Fragment.
chir. et med. p. 78.

- 58) SELLE l. c. ibid.
- 59) SACHLEBEN l. c. p. 51.

- 57) Debilitas vasorum habitualis roborantia, Chinam, fomentationes frigidas postulat.
- 58) In laesioribus, foris admissis, plaga, pressu &c. nisi violento, currendo, saltando, clamando, instrumentisque canendo, &c. quibus pulmonum vasa rumpuntur, sanguisque eorum diffunditur, exortis, plerumque febris expertibus, acida mineralia; sales medii refrigerantes; nitrum in spiritu diluto vini solutum⁶⁰), aqua frigida, fomentationes refrigerantes⁶¹) et venaesectiones medici sint arma, hunc morbum debellatura. Vulnus, pulmonum substantiam penetrans, sanguinis in thoracis cavo diffusi emissionem imperat, situ conveniente, inspiratione profunda, fluidique blandi injectione.
- 60) Nov. act. Societ. scient. Vpsal. V. 1.
p. 109.
- 61) SCHMUKKER *Wahrnehm. aus der Wundarzn. K. P. 2.*

ctione peragendam; et si in thoracis parte superiori sese ostendit, musculorum intercostalium, inter costam sextam et septimam, sectione opus est, ut humorum effluxus perficiatur. Tum corpora aliena ingressa, v. c. costarum particulae, omni studio sunt extrahenda atque vulneris labia sub inspiratione emplastro adhaesivo rite tegenda, quo modo vulnus, natura auxiliante, sanatur.

Caussis haemoptyseos supradietis demtis, extravasati sanguinis evacuatio, expectorantium beneficio v. c. antimonialium, senegae et scillae rad. gummi ammoniaci, mellis acetati &c. instituenda; tussis vero moderanda, atque febris, secundum indolis sua indicationes, tractanda.

¶) Haemorrhagiae naturales et consuetae supressae, modo jamjam dicto revocandae sunt.

ε) Exanthemata in pulmones repulsa, antimonialibus, sulphureis,

C 5 cam-

camphoratis⁶²), balneis calidis sulphuratis, vesicatoriis, fonticulis atque fetaceis vel in cutem reduci, vel sensim sensimque e corpore ejici debent.

ζ) Ulcera inveterata imprudenter fanata, vesicatoriis, fonticulis, fetaceisque in vicinia applicandis, restituenda sunt.

η) Acria specifica medicamentis sic dictis specificis, vulgo notis, fugantur, v. c. rheumaticum, diaphoreticis⁶³) vesicatoriis &c. venereum, mercurio⁶⁴); scrofulosum, plantis acribus et narcoticis, antimonialibus, terra salita ponderosa⁶⁵) &c. &c.

§. 14.

62) SELLE l. c. p. 301.

63) idem l. c. p. 302.

64) HAHNEMANN, GIRTANNER et FRITZE über d. vener. Krankh. — BELL über den vener. Tripper. a. d. Engl.

65) HUFELAND über d. Scrofekrankht. THILENIUS med. chir. Bemerk.

§. 14.

Causas, hic breviter pertractatas, si medicus tollere non potest, succedit exulceratio pulmonum. Ulcus vomicae characterem p[re]ae se fert, et sensu pressionis in pulmonum loco uno eodemque, tussi sicca saepe repetita, inspiratione anxia, dolore aucto in pulmone altero, si aegrotus situ horizontali decumbit, proditur. Quae vomica, si per longum tempus occlusa manet, pus in ea contentum magis magisque acrius evadit, tandemque sanguini admixtum febrem lentescentem inducit. Quamobrem medici est, pus quam citissime expellere, hujus in sanguinem transitus ut impediatur, cavere, atque hunc in finem vomicae saccum destruere. Quod peragitur inspiratis vaporibus vel leniter irritantibus, tussimque quasi artificialem creantibus, quales acetum calori expositum emittit; vel resolventibus atque emollientibus calidis, e floribus Sambuci aliisque vegetabilibus hujus indolis, minime vero talibus, quae nihil principii volatilis continent, v. c. foliis Verbasco-

Tha-

Thapsi, Althaeae off., Malvae generis; surfuribus triticeis &c. quippe quorum vis efficax emolliens in principio mucilaginoso solo ineſt, vapores nequaquam comitante. Huic inspirationi machina bene aptata, cuius specimen BUCHOZ⁶⁶), MUDGE⁶⁷) et SACHTLEBEN⁶⁸) ediderunt, optime inservit. Porro expectorantia, squillitica, antimonialia, senega, sal ammoniacum potui demulcenti admixtum⁶⁹) nec non emetica, parca dosi assumta⁷⁰), tandemque exercitationes convenientes, v. c. vectio curru et equo, deambulatio, haud quaquam vero tali excessu ut SALVADORI postulat⁷¹), indicationi supradictae satisfaciunt. Vomicae rupturae momen-

66) *Abhandl. über d. Schwindfucht a. d. Franz.*

67) *Abhandl. v. katharrhal. Husten.*

68) *l. c.*

69) SELLE *l. c.* p. 309.

70) REID *l. c.* SIMMONS practic. observ. on the treatem. of consumpt.

71) SALVADORI *über d. Lungensucht. a. d. Ital. Journal d. Theorien. H. 2.*

mentum appropinquare, artuum tre-
mor, anxietas, animi deliquia verti-
go &c. significant. Pus, si major ejus
copia, jam existens, subito ejicitur,
tracheam inundat, atque ita suffoca-
tionis caussa fieri potest; dum vero
sensim sensimque bronchia petens, per
asperam arteriam foras evehatur, fe-
bre absente, medicum spes neuti-
quam deserit. Medicaminum nomina-
torum usus continuatus, situs corpo-
ris horizontalis, atque vesicatoria,
fonticuli, setaceaque thoraci vel in
loco ei vicino applicata, puris elimi-
nationem bene promovent, ejusque re-
sorptio provident.

§. 15.

Sed quibus se prodat pus qualita-
tibus, ut a muco, atque ita status
exulceratus a phthisi pituitosa, longe
aliter tractanda, distingui possit? inquirendum est. Criterium hoc ex sputo
excreto vere perdifficile est, cum nec
conspectu, nec aliis scrutiniis, puris
existentia certissime probetur, nisi
morbi symptomata respiciamus. Viri
ce-

celeberrimi, DARWIN⁷²), BRUGMANNUS⁷³), SALMUTH⁷⁴, GREN⁷⁵), HILDEBRAND⁷⁶) et GRASMAYER⁷⁷) praecipue experimentis pus examinarent. GRASMAYER quidem affirmat, pus certe cognosci posse, si materiae ejectae, cum aequalibus aquae calidae partibus commixtae, aequalis alcali vegetabilis soluti quantitas terendo adatur. Pus praesens e mixtione, per horas aliquas quiescente, gelatinæ tenacis specie fundum petit; mixtio autem eo carens nihil sedimenti conspectui objicit. Tentaminibus vero ab ill. GOTTHARD⁷⁸), MIRABELLI⁷⁹) nec

72) DARWIN exper. establishing a criterion between mucaginous and purulent matter.

73) Diff. de puogenia. Gröning. 85.

74) Diff. de diagnosi puris. Gotting. 83.

75) Syft. Handb. der gesammten Chemie. P. 2. p. 425. sq.

76) Handb. d. Chemie. P. 3.

77) Abhandl. v. Eiter. Götting. 90.

78) Leitfaden Kranke zu prüfen. p. 191.

79) Physisch - chemische Aufsätze. a. dem Ital. Leipzig. 95.

nec non a memet ipso institutis, didici: hocce criterium neutiquam semper esse tutum, sed potius facile nos fallere posse, cum nil nisi hoc doceat: materiam, modo descripto feso ostendentem, majori inflammationis gradu productam esse⁸⁰). Illa interim puris qualitas, quod facile in fermentationem acidam, moxque in putredinem foetidam transit, optimum adhuc ejus signum esse videtur, cum mucus nunquam acidus evadat, et tarde tantum putredinem induat⁸¹). Vti vero jamjam dixi, omnia symptoma rite accurateque considerari debent, ne in errorem incidamus.

§. 16.

Sed ad vomicam redeo, quae pure exscreato, medico nunc, ut faneatur, imperat. Vitae genus non turbatum, corporis animique quies cum de-

⁸⁰) *Salzb. med. chir. Zeitung.* 3B. 1792.
p. 173.

⁸¹) BRUGMANNS *l. c.* §. 92. HERMBSTAEDT *Grundriß. d. allg. Exper. Chemie.* §. 749.

delectatione; exercitationes modicae; climatis mutatio; itinera per mare⁸²⁾; diaeta tandem blanda, bene nutriendis, infra adhuc enumeranda, plus quam omnia medicamina, si anti-inflammatoria non plane spernis, in satisfaciendo huic indicationi valent. Hujus loci praecipue quoque est inspiratio gas parum oxygenii in se habentis, ex anaticis circiter partibus aëris atmosphaerici et azotici, vel ex parte una illius dimidiaque hujus compositi. Apparatum huic fini respondentem, illustr. GIRTANNER invenit, atque tabula aenea delineatum descripsit⁸³⁾). Ter vel quater circiter de die mensuras tres hujus aëris aegrotus hauriat, quem si semper inspirare posset, v. c. in con-clavi minori eo impleto, longe omnino esset melius, cum omnis tunc al-

82) PLINIUS histor. natur. l. 32. c. 6.
CELSVS l. 3. c. 22. BOERHAVE aphorism sect. 857. f. CVLLEN *Anfangsgr. d. pr. A. W. T. 2. p. 231.* WHYTT
fämtl. Schrift. p. 495.

83) *Journal d. pract. Heilkunde. B. 1. St. 2. p. 248.*

alternatio abesset. Ad gas azoticum commode ex aëre atmosphaericō se-parandum cl. MARK methodum apparatumque idoneum descripsit, de quibus in diario chemico, infra laudato, plura invenies⁸⁴⁾. Gas oxy-genium ē contrario, quod medico-rum nonnulli commendarunt, ex ra-tione supra jam explanata, vita-dum et nullo modo in usum vocan-dum est.

§. 17.

Non vero omni in casu vomica dirupta pus in se habens in tracheam mittit, utpote quod alium interdum petit exitum, vel per musculos inter-costales, vel thoracis cavum. Illud si evenit, empyema exoritur spurium, aut si mavis, abscessus pulmonum, in-tegumenta externa tumefaciens; hoc autem in casu pus pulmones inter et thoracem effunditur, atque ita empy-ema verum producit. Empyema spu-rium tumorem constituit, in quo di-gitis

84) CRELL *chemische Annal.* 1795. St. 6.
p. 507.

gitis explorantibus materia percipi potest fluctuans; qui tumor, scalpello dissectus, in ulcus abit, illo modo tractandum, quem jamjam in vulnere thoracis pulmonumque supra descripsi. Empyema verum adesse, respirationis, vomica dirupta paululum relevatae, anxietas aucta significat. Proinde situs horizontalis aegrotum gravat et motu thoracis celeri fluctuatio aliqua observatur. Interdum quoque spatiū intercostale dilatatur, integumenta externa intumescunt, atque abscessus in parte thoracis inferiori, prope dia phragma, sese ostendit fluctuans. Malum hoc, e phaenomenis enumeratis cognitum, paracenthesin postulat chirurgicam⁸⁵⁾ ita instituendam: abscessus si adeat, recludatur, eo vero absente, thorax, dissectis integumentis, musculorum intercostalium in medio, costam inter sextam et septimam, nec

- 85) MOHRENHEIM *Beobachtung. verschied.*
chir. Vorfälle. B. 2. SCHMUKKER
vermischt. chir. Schrift. B. 1. BELL
Anfangsgr. d. Wundarzneykund. a. d.
Engl. B 2. HOFFMANN *l. c. p. 56.*
HEMMANN med. chir. Aufschlüsse.
Berl. 1778.

nec non columnam vertebrarum inter et sternum, sectione cauta aperiatur, ne arteria intercostalis, nec superior, nec inferior, laedatur. Nunc quoque pleura, si digito exploranti puris fluctuatio sese objicit, lanceola discindatur, atque pus, canali mediante extrahatur, quod pus, si consistentiae esset tenacis, liquore blando injecto est diluendum. Puris vero in mediastino anteriori contenti, e situ dorsali gravante cognoscendi, effluxus, sterni trepanatione obtinetur.

§. 18.

Symptomata vero, huc usque per tractata, plerumque febris comitatur lenta hectica, aegrotum lecto adficens. Quae febris vel puris acris reforptione, vel incitamento oxygenii inspirati aucto in pulmones exulceratos, creatur. Puris excretione levata, febris ipsa quoque levatur. Huic indicationi medicamina satisfaciunt alimentaque blanda, bene facileque nutrientia atque acredinem lenientia. Cujus indolis et optimae notae sunt mucilaginosa vegetabilia, et gelatinosa.

D 2 regni

regni animalis. Quare in usum vocanda: Lichenis variae species, v. c. prunastris, farinaceus, pulmonarius, in primis autem islandicus⁸⁶⁾ et furfuraceus; Orchidis specierum radices⁸⁷⁾; Boletus suaveolens⁸⁸⁾; semen Tritici hiberni; Avenae sativae atque Oryzae sativae; Sagu &c. Corpora haec vel aqua vel lacte recenti coquantur, et decoctum mucilaginosum assūmatur. Porro se commendant: avium ova; Testudinum genus; Rana temporaria et viridis; Ostrea edulis; Limax ruber; caro Colubri Beri et Viperae; Cancer Pagurus et Astacus, modo supra dicto tractata⁸⁹⁾; Lac, praecipue humanum et asininum; herbae recentes lactescentes, e. g. Cichorium In-

86) STOLL. rat. medendi Tom. 3. FRITZE med. Annal. B. I. p. 204. SCOPOLI Histor. nat. p. 441. CRAMER diff. de Lich. isl. Erlang. 80. FRITZE Annal. d. clin. Inst. zu Berlin. H. 2.

87) PERCIVAL Essays V. 2. p. 45. FRITZE med. Annal. B. I. p. 204. FRITZE l. c. H. 2.

88) FRITZE l. c. H. 2. ENSLIN de Bol. syav. Erlang. 1785.

89) KAEMPF Neue Method. d. Krankh. d. Unterl. zr heilen.

Intybus et Endivia; Leontodon Taraxacum &c. fructus succulenti, dulces, acidi v. c. Citri, Pyri et Pruni specierum variarum; Cucumeris sativi &c. Acidum carbonicum⁹⁰⁾ et sulphuricum⁹¹⁾ potui commixtum. His enumeratis, diaeta exacta, atque aëris, minus pulmones irritantis, inspiratione, plus valemus, quam multis medicaminibus aliis, a variis medicis commendatis, quorum alii roborantibus, alii balsamicis utuntur. Roborantium praecipua sunt: China, quam de HAEN⁹²⁾, ROSENSTEIN⁹³⁾, TISSOT⁹⁴⁾, van SWIETEN⁹⁵⁾, et HALLER⁹⁶⁾ laudant; MEAD vero⁹⁷⁾, CULLEN⁹⁸⁾, FOTHERGILL⁹⁹⁾, et

D 3 SEL-

- 90) PERCIVAL *l. c.* PRISTLEY exper. and observat. on differ. kinds of air. BERGMANN opusc. Vol. I.
- 91) SIMMONS, FOTHERGILL, REID, *l. c.*
- 92) Rat. medendi. T. XII. p. 236.
- 93) Anweisung zur Kenntniß u. Kur der Kinderkrankh. 1785.
- 94) TISSOT Avis au peuple. p. 119.
- 95) Comment. T. 4. p. 94.
- 96) Opusc. med. T. 3. p. 34.
- 97) Monita et praecepta. p. 27.
- 98) Ansangsgr. d. Arzneiwr. T. 2. p. 235.
- 99) Lond. med. observ. Vol. 5. p. 345.

SELLA¹⁰⁰) rejiciunt; porro Arnica montana¹⁰¹), Quassia, Cascarilla, Polygala amara &c. Balsamica in phthisi commendata balsama sunt nativa, ut peruvianum¹⁰²) et Copaiava¹⁰³); Myrrhae gummi resina¹⁰⁴) ol. Asphalti¹⁰⁵); suffitus et halitus aromatici e Resinis odoriferis atque herbis oleo athero praeditis¹⁰⁶). Huc quoque habitatio in bovili commendata pertinet¹⁰⁷).

§. 19.

100) Med. clin. p. 310.

101) STOLL rat. med. T. I. Lib. 2. p. 201.

102) SIMMONS l. c.

103) LENTIN *Beobacht. einig. Krankheit.* p. 58. FULLER *Pharmacop. extemp.* p. 275.

104) BALDINGER *Pharmac.* edinb. p. 367.

105) THEDEN *Neue Bemerk.* P. 2 p. 206. LENTIN l. c. p. 103. THILENIUS *med. chir. Bemerk.* SACHTLEBEN l. c. p. 231.

106) MEAD monita et praeccept. Scit. X. p. 29. sq. MUZEL *med. chir. Wahrnehm.* St. I. p. 7. WILLIS *pharmac.* rat. P. 2. C. 6.

107) Schied. *Abhandl.* 1782. READ sur les effets du sejour des étables dans la phthisie.

§. 19.

Reliquum est, ut de cura palliati-
va quoque pauca addamus. Haec in
symptomatibus, aegroto maxime mo-
lestis, leniendis, vitaque misero,
quantum fieri potest, levanda con-
stat. Inprimis tussis phthisicum ex-
cruciat, cui depellendae mucilagino-
sa supradicta, fauces lubricantia, pus-
que ichorosum irritans mitigantia,
inferviunt; quod pus, ut facilius ejiciatur,
aegrotus horizontali situ de-
cumbat. Ne vero tussis, nunquam
remittens, somnum fuget, quietem
que nocturnam, atque ita virium con-
sumtionem acceleret, paregoricum
aliquid, v. c. opium in parca dosi,
ut phthisicus vespere assumat necesse
est. Ad sudores colliquativos demen-
dos Agaricum laricis commendat de
HAEN¹⁰⁸⁾ et Salviam officinalem
van SWIETEN et MELLIN¹⁰⁹⁾. Aci-
dum sulphuricum quoque et Opium
hic sunt proficia. Profluvia alvi
colliquativa, materias postulant mu-
ci-

¹⁰⁸⁾ Rat. med. T. XII. p. 251.

¹⁰⁹⁾ Comment. T. 2 p. 370. Mater. med.
p. 75. Salviam nocere, quum calorem
et fccitatem majorem efficiat QVARIN
in obs. pract. p. 91. adnotat,

cilaginosas cum opio conjunctas, et medicamina amara, roborantia, v. c. Angusturam; Quassiam et Simarubam; radicem Columbo et Arnicae montanae &c. De HAEN¹¹⁰), atque STOERK¹¹¹) hunc in finem Lythrum Salicarium laudant. Aphthae sub morbi finem se ostendentes, melle aceto, Borace, Alumine atque Vitriolo Zinci tractari possunt.

§. 20.

Et hoc quidem modo cum morbo, generi humano inimicissimo bellum est gerendum. Raro tamen medicus eum vincit atque in fugam vertit, nisi in primo ejus impetu, febre eum nondum comitante. Hac jam praesente, ars plerumque vanâ est, cum exulceratione nimis progesfa viscus tunc consumatur ad vitam protrahendam omnino necessarium, nullo vero medicamine restituentum.

110) l. c. T. 3. p. 196. T. 4. p. 250.

111) Annal. med. p. 108.



THESES.

I.

Imaginatio matris in foetus formans nihil valet.

2.

Fibrae lentis crystallinae, acidis tractatae, arte non producuntur, sed tantum conspectui patentes redduntur.

3.

Saccus lacrymalis status est morbosus canalis lacrymalis.

4.

Systema Richterianum in puncto lucis compositi tantum, ab antiphlogistico discrepat.

5.

Gas azoticum ex oxygenio et lucis principio constare, cl. Goettlingii experimentis non probatur.

6. In

6.

In mensium obstruzione electricitas armis medici efficacissimis adnumeranda.

7.

Sectio caesarea per lineam albam solam instituenda.

8.

In herniae cruralis incarceratae operatione, glandulae inguinales omni attentione respiciendae sunt.

9.


Hydropis tunicae vaginalis operatio per sectionem, caeteris praferenda.

10.

Extracti paratio pharmaceutica accuratam postulat cognitionem principiorum vegetabilis efficacium, eorumque naturae,

11.

Ante quintum mensem nullum adest graviditatis signum.



TIFFEN® Color Control Patches